

eam nova hæc Stella à consuetis Cometarum apparitionibus plurimum discere  
paret, omnique cauda & motu destitueretur, ipsisque genuinis Stellis forma &  
luminis splendore similima foret, & duratione consuetum Cometarum termi-  
num longe exuperaret.

Erat itaque in Cometis ulterius experiendum, & ex certis Observationibus  
Geometrico inuestigandum, an etiam hi supra infraque Lunam collocaren-  
tur.

Quod sane non adeo simplici ratione, & facili indagine, atque in Nova Stella  
peruestigari potuit, eo quod hæc per se immota in eodem Cæli loco perpetuo hare-  
ret, nulloque alio motu quam primi mobilis conuolueretur, & insuper adeo vici-  
na Polo esset, ut utrumque situm, tam in maxima quam minima Altitudine,  
nobis dimetiendum exhiberet.

Quare facilimum erat de eius Parallaxibus, immensaque à Terra distantia  
certi aliquid concludere.

At longe maiori in Cometis peruestigandi id ipsum labore opus, nec adeo  
simpliciter directeque, sed quasi per ambages quasdam ad abstrusam rei Verita-  
tem hic peruenire licet, præsertim ob motum eorum proprium, eundemque ple-  
runque inaequalem, quem præter primi mobilis reuolutionem obtinent, & quod  
infra Horizontem ut plurimum abscondantur, imo nonnunquam etiam in Me-  
ridiano eos conspiciere minime conceditur.

Id quod in hoc Cometa accidit, qui nunquam nocturnis apparitionibus nobis  
Meridianum pertransiuit, sed ubique ab hoc versus Occasum inclinabat, & ob  
id perplexiores Parallaxeos inuestiganda Labyrinthos obiecit. Nihilominus  
tamen omnibus difficultatibus posthabitis, totis viribus incubui, ut ipsius Ap-  
parentias exacte dimetirer, quo collatis complurimis, iisdemque exquisite habitis  
Observationibus, euidenter concludere, & vi Demonstrationum conuincere,  
qualem situm hic Cometa in Mundi diametro obtineret, in promptu esset. Nec  
diffido, quin rem ipsam quam assequi proposuimus, ita attigerimus, ut cuilibet  
intelligenti & candide solius Veritatis amore hæc disquirenti persuadeatur ea  
quæ demonstratiue conclusimus, ut aliter se habeant, citra certitudinis exactæ  
inacturam, fieri nullatenus posse.

Ne vero Observationes nostræ, hisque innixæ Demonstrationes, quibus ad  
optatam metam pertigimus, mihi soli constarent, aliisque nihil commodi cogni-  
tionisque conferrent, permisi rogatus ab Amicis & quam plurimis Doctissi-  
morum in Germania Virorum sollicitatis literis, ea quæ ex huius Cometa Ani-  
maduersionibus deprehendi, in publicum prodire. Ut & posteritas antecedent-  
is ætatis in hoc negotio Observationes Demonstrationis methodo numerorumque  
adminiculo stabilitas, & in usum diductas haberet, quibus certior instructior-

\*\*

3

que